Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 287
Quelle:
Copyright:

illud: *Veni ſancte Spiritus* &c. *Hec vox eſt eccleſie anhelantis aduentum* &c. Accedunt tres *Formulae* breves Proluſionum Academicarum. Quae omnia ad quem in confinio Sec. XIV. et XV. Academiae noſtrae Doctorem referenda ſint, ignoro. Ad calcem legitur: *Iſte ſexternus eſt domini Eckhardi capellani ad ſanctam Katharinam.* Sacellum hoc in ambitu Eccleſiae D. *Stephani*, Domoque dicta *Zwetelhof* etiamnum ſupereſt.

CLXXXIX.

U. 35 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Pagg. 552. f. per duas columnas currente calamo ſcriptus et rubricis diſtinctus Expoſitionem *Evangelii ſecundum Johannem* complectitur, cujus, οἰκονομιαν docet ingreſſus: *Diuino cooperante auxilio aggreſſurus lecturam ewangelij Johannis primo premittam ipſius ſacre ſcripture et ſpecialius legis ewangelice recommendatoriam collacionem breuiſſimam. Deinceps dicam de materia ewangelij huius et eius autore in ſe et conſequenter per comparationem eorum ad aliorum ewangeliſtarum ewangelia. Tertio deſcendam ad textum in ſe per diffiniciones et ſubdiffiniciones poſtillarum communium annectendo cuilibet materie principali prout deus dederit dubia textualia aut queſtiones difficultatum textualium declaratiuas ſecundum quod uidebitur expedire et prout altiſſimus inſpirauerit pertractandum pro informatione mea et audientium vtilitate.* In primo porro Propoſito verſatur Noſter usque ad p. 4. in altero usque ad p. 7. Textus vero ipſius Expoſitionem p. 38. orditur, neque vaſto hoc Volumine ultra *Caput* VI. pertingit. Sunt tamen a p. 502. Quaeſtiones quaedam extravagantes in aliquos *Johannis* textus adjunctae. Si de Autore quaeras, *Petri de Pirckenwart* nomen et tergo *Codicis*, et primae *Paginae* a manu recentiore inſcriptum eſt, Autorque *Partis I. Scriptt. Univ. Vien.* p. 103. de hoc ipſo *Codice* tunc in Bibliotheca Univ. exiſtente loquens eum *Petro* indubitanter tribuit. Pauca, quae de Theologo hoc non indocto ad nos pervenerunt, habes ibi. Cognomen illi *Reicher*, annus emortualis juxta *Locheri Speculum Acad. Vien.* 1436.

CXC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 42
Folior. 416. f. currente calamo exaratus eandem Expoſitionem *Evangelii ſecundum Johannem* usque ad C. VII. continet, quam jam *Cod.* anteced. indicavimus: *Diuino cooperante auxilio aggreſſurus* &c. Praemittitur tamen hic: *et quidem principium factum eſt A. d. 1422°. In die Sancte Eufemie virginis.* Dorſo Codicis recentiore manu, ut in priore, adſcriptum eſt: *Petrus de Pirchenwart In Joannem;* ſed *fol.* 11. p. 2. legas: *Hic magiſter petrus de pulka theologie profeſſor ultimum clauſit lumen et hos flebiles dies peregit eo anno quo a chriſti incarnatione ſcribebatur 1425. in die Sancti Georgii*